# THESAURUS CHYMICUS EXPERIMENTORUM CERTISSIMORUM COLLECTORUM

usuq; probatorum,

à


FIDEJUSTO REINNECCERO
Pharmacopola olim Salfeldensium.

*Cum præfatione Joachimi Tanckij D. de Medicina.*

16  09

Cum Gratia & Privilegio Saxon.

LIPSIÆ, *Impensis Thomæ Schureri.*




BIBLIOTEKA ELBLĄSKA


Biblioteka Uniwersytecka
w Toruniu

# MAGNIFICO, AMPLISSIMO, CONSVL-TISSIMOQVE VIRO

Dn. MARCO Gerstenberg/ J. U. D. & illustrium Ducum Saxoniæ Cancellario, hæreditario in Drackendorff & Schwerdtstet: Patrono ac Mæcenati suo devotè colendo.

S. O. D.



*Ibrum istum, quem de morborum curatione ante annos aliquot* FIDEJUSTUS REINNECCERUS *Pharmacopœus & antecessor meus piè defunctus, tùm suâ experientiâ, tùm varijs & probatis autoribus in suum usum & praxin colle-*

*git, congeßit, & à me nunc Bonorum rogatu hunc in ordinem redactum, editum, eum tibi dare, dedicare mihi visum, vir Magnifice atq; Consultißime, quò plus habeat autoritatis & gratiæ contra Zoilorũ sibila & morsus. Caussa, quæ impulit, duplex. Altera ab insigni autoritate, gravitate & splendore est, quîs egregiè vales, quorumq; copiam in rebus arduis facis. Altera est ipsa tua præclara Beneficentia, quam tot annos sine merito in parentem meũ largiter & abundè ostendisti. Cui gratiæ, si incompositus & obliquus ego referendæ, non tantùm ingratus sim & impudens, sed injustus quoq; omnium penitùs culper. Dico injustus. Inhumanum quippè, Barbarum ac ferum est, committere, ut Beneficio indigni videamur, nec pari reddere mensurâ, mutua*

*quæ*

*quæ à Bonis pridem accepimus. Sed quâ potiùs aliâ viâ tibi gratificari magis queam, meq; simpliciùs aperire, nisi eâ, quâ reddere contingat id, quod ex virtute & à Bono viro debetur? Certè majus ab animo pondus dari nequit. Nec reor à munere te hoc, quamvis exiguo, minimè delectari, sed eò lubentiùs accepturum, quòd à viro opus tàm utile, quàm necessarium, in vita elaboratum quæsitumq; fuit. Quo eodem hoc instituto meo fore judico, ut qui corpore* REINNECCERUS *abiit, nomine & claritudine adhuc vivat. Natura siquidem hoc nobis dat, ut scriptis virorum memoriâ dignorum visis, eos ipsos coràm videamus, cognoscamus. Idipsum quoque à veræ laudis suæ superstitibus & industriæ gnaris mihi objectum, preci-*

*busque cottidiè extortum. Proindè quicquid id est muneris, & quod in honesto utiliq; otio agere fuit, tibi adscribo, Magnifice Consultissime Vir, & auxilium meum & præsidium sub alas & tutelam præclari tui nominis pono. Minimè dubitans, te non solùm manum & præsidium ei daturum & defensurum, sed & productorem tanti laboris & industriæ apprimè extiturum. Atque ut Sol exoriens radijs suis & coruscatione omnes terræ partes illustrare, nebulasq; dispellere tenebrosas solet: sic tua Magnificentia Nasutorum illorum grandines atque procellas importunas splendore suo facilè supprimere ac profligare potest. Nolo autem libellum hunc ut munus, sed ut animi grati pignus accipias: Et quâ*

*Benificentia ac Benignitate meum antehac prosequutus es parentem, beneq; ex animo voluisti, eandem quoq; in me quæso non sinas claudier. Vale, Magnifice, Consultissime vir, & me, qualem ostendi erga te esse, seriò crede. Salfeldiæ ex Muséo Anno Dominico* CIↃ.ↃCIX.

*T. Magnif. & Amplit.*

*Deditissimus*


JANUS BACCERUS.

# Benivolo Lectori de singulis rectè judicanti S.



Escio, Lector Benevole, quâ ævi nostri Infelicitate accidat singulari, ut ij ferè, quorũ de Rep. Literaria benè merendi studium, proq; eâ augendâ, conservandâ atq; tuendâ summus labor, summus nixus, pessimè apud illos audiant & infamentur qui sui sunt admiratores, & extra omnem ingenij aleam se ponunt. Nec tantùm id nostra hâc ætate (proh dolor!) comperimus, sed & superioribus frequenter accidisse, exempla undiq; nobis obvia, adeò ut propter Lividos istos & Superficiales, quibus sua duntaxat placent (ad æquiora mente nõ flexâ) haud immeritò quem in hoc clivo sudantem, ab omni stilo atq; calamo, avertere & avocare queant. Quæ cum ita sint, futurum arbitror, ut hic quoq; REINNECCERI labor varia in judicia sive voces incurrat. Et in primis, ni fallor, primum erit Calumniæ

telum:



telum: Ex multis autoribus conflatum & congestum esse opus, eoq; tanti minus faciendum, quanti ei tribui, quantisq; laudibus ipsum exornari velim. Quod tamen sic excutio: Verè dici posse omnia REINNECCERI esse, & revera nihil aliundè sibi accersitum, vocatum habere. Siquidem inventio tota ab ipso est, experimenta verò, partim à seipso sunt, partim ab alijs, usu tamen & experientiâ ejus approbata, nec aliter fecisse, ac Phrygiones è varij coloris filo, qui unum aliquod aulæum formant. Hinc commendationem aliquam meam si expectas, *falleris*. Commendabit seipsum lectione & usu sui satis. Quodq; ad judicium, malim hîc esse aliorum quàm meum. Aliorum, inquam, qui de hoc labore judicare possunt, & sunt Boni. Alterum quod sese offeret, erit, opinione meâ, Modus seu Methodus præparandi Experimenta ista Chymica, operi vel praxi huic haudquaquam annexa. Indè dicent: non feliciter ac tutò hâc in Praxi versari posse, dùm minimè liquet, quâ ratione & modo ista debeant præparari & confici. Ad

quod tamen ita respondeo: Factum id esse non mea sed Autoris culpa, dum totum processum lingua vernacula nostra expressit. Qua ratione non habita, liber immensæ molis & ὕστερον πρότερον extitisset, omniaq; ordinis confusione perturbata fuissent, quod dein non leve tædiũ Lectori attulisset. Quare ea separatim sepofuimus. Animadvertens hanc operam alijs acceptam, faxo, ut mox ea sequantur & prodeant, ad quæ te, Lector, remitto. Quod si forsitan, & tertium accederet, Opus videlicet nõ adeò completum & perfectum esse, ille sciat; multa posteris investiganda reliquisse Autorem, nec quicquam Naturam ab omni parte beatũ perfectũq; procreasse. Id quod Tyrius maximus ille Philosophus Platonicus testatur, dũ magni negocij esse putans, perfectam vivendi rationem invenire simul atq; hominem perfectum, adeò usq; omnibus studijs inopiam quandã cõmisceri, quæ non sinat ea, pulchritudinem illam contingere extremã. Atqui dubium non est, quin plura de ipso cùm integro judicio prodijssent, ni immatura morte ex ærumnoso hujus vitæ ergastulo ereptꝰ atq;

excessus fuisset. Sed

*Regitur Fatis mortale genus,*

Ut eleganter sapiens Seneca in Octavia: nec nobis Parcarum stamina præterire licet. Quocirca, utcunq; sit, industriæ ejus favendum censeo, tanquam ijs, qui se Patriæ, qui suis civibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui somnio & cōvivijs & delectationi natos arbitrentur. Siq; fortè non exactè currendo hunc cursum omnia videbitur consequutus, fragilitati ignoscendum humanæ, considerandumque, Corinthum adire, non omnibus contingere, nec itidem omnes ad magni illius Monarchæ Paracelsi exemplū illustri laude celebrari. Tàm enim præclarū nō est, multa scire, quàm magna in magnis conari. Ut nihil interim dicā de circumforaneis, impostoribus, vanis & nullius precij hominibus, qui ab extra, nescio qua vel maris vel terræ tempestate, vel alio quocunq; loco frigido ejecti, ventorum flabris eventilati agitatiq; huc veniunt, & in hanc nobilissimam Medicinæ partem irrumpunt, nunquam specimen artis Chymicæ edere scientes, sed rerum omnium rudes & imperiti sunt. Hos, inquam, si laudem

uti interdum indigni merentur, mereri novimus, qui tamen ex merâ inscitiâ, artisq; carentiâ, Quid pro Quo, Venenum pro Medicamento ægrotis administrant, eosq; dulcissimâ vivendi aurâ ante ætatem extremam spoliant. Quidni commodius foret, scripta probatorum virorum, qui penitùs in hujus artis mysteria sese abdiderint, arripere, & talibus βωμολόχοις ac inverecundiâ ebrijs nebulonibus ad imitandum, enucleandum proponere? Hi dubio procul inspicientes hanc operam, in semitam rectâ adducerentur, & curas suas immaturas (si aliàs apud ipsos aliqua sanæ mentis mica) ad hujusmodi *Praxeos* normam facilè dirigere possent. Quos enim labores Autor & quantos, multaque simul pericula in hoc studio adierit, ut ipse post se reliquit, me reticente obscurum nemini. Noctes diesq; super destillando, laborando, vigilando, scribendo cum plus olei quàm vini consumsisse, queis felicem curam consequeretur, subsequens Theoria testimonium addet, ne ego fortassis plus adfectui quàm æquitatis rationi attribuisse videar. Cùm

verò

verò multos insatiabile Cacoëthes scribendi, edendi teneat, nolim, Lector, existimes, me quoque ex eo genere esse, & pro meo judicio, sine optimorum virorum Autoritate, instinctu, consilio hæc evulgare, sed præsertim, quibus industria ejus nota fuit, cottidianis molestisq; precibus, abjecto omni diffidentiæ metu, tandem parêre, coactum esse. Debemus autem, ut ingenuè fatear, quicquid operi huic Lucis accesserit, insigni hujus artis peritia Excellentissimo, Clarissimo ac probato viro, Dn. JOACHIMO TANCKIO, Utriusq; Medicinæ Doctori & Professori publico Lipsiæ, amico meo honorando, qui, ut Chymiatriam abundè excolit, & aliis Autor extat ad ejus Culturam, ita huic quoq; Labori industria sua deesse noluit. Imò inter alios hæsitantem atq; ancipitem me, magis magisque incitavit & calcar ad publicandum addidit. Igitur parui. Et totum opusculum in sex libros, unà cùm titulis morborum secundùm corporis humani partes constitutis, distribui. Deque eis te admonendum duxi, quò & scopum mihi pro-

positum

positum & methodum à me servatam intelligas, ac proindè minori cùm molestia in hoc opere versari possis. Quod si feceris, & primum hunc fœtum nostrum candido & æquo animo susceperis, ad majora me promptum & sollicitum invenies. Et quemadmodũ apud Atheniẽses lege cautũ erat, ut nulla Fabula exploderetur, quæ primùm exhibebatur: Et scribunt frugalem Hecales Cœnulam non aspernatum fuisse Thesea: ita tu, Lector Benivole, hanc opellam nostram amplectere, & studijs nostris fave. Vale.




*QVamvis invideat ſtraviq; limâ*
*Hos ſupercilij notet labores,*
*Vel lingva quoq; verberet procaci,*
*Vel puncto calami: tamen nec bilum*
*Livor proficiet: ſed invidenti*
*Invitoq; vel ore confiteri*
*Cogetur, ſatis heic fuiſſe factum.*
*Si mutuas Medicæ ſalutis artes*
*tractabis ſolito laboris æſtu*
*noſtras* BACCERE, *ſic, potes profectò*
*Illuſtrem tibi patriæq; terræ*
*Claro nomine fœnerare lucem.*

Φιλίας ἕνεκα Salfeldiæ

**David Meiſius, M.**


*JOACHI.*





# *JOACHIMUS TANCKIUS D. Benevolo veritatis amatori S.*

*HAnus Baccerus vir doctiss. amicus meus singularis, Lector benevole, has è penu Chymico sui antecessoris depromtas opes meo instinctu & suasu, non quidem sine doctorum virorum rectè sentientium applausu in publicum emisit. Debentur igitur illi hoc nomine gratiæ singulares. Inter DEI enim beneficia, quibus hoc inquinato seculo nos afficit, maximum est artis Medicæ lumen, quod ex Chemia accepit. Debebat igitur in hoc impuriss. seculo ab impuritate hujus mundi nos avocare ad vitæ melioris emendationem artis medicæ incrementum, quæ nunc tandē è cœno, & impuritate oculos, mentemq́, erigit, & vultu ad cœlos erecto, lumen cœleste contemplatur, eoq́, plenè fruitur. Requirere autem à me in hujus libelli editionē quis posset vel commendationem ejus, vel ejusdem explanatio-*



*nationem, declarationemq́; verùm hæc ipsa in aliud tempus differam, si Galenicis medicis hæc non improbari intellexero. De fine igitur artis Chemicæ altero, qui est renovatio corporis humani, nonnulla præfationis loco in medium adducam, & non tàm meam, quàm præcipui cujusdam viri sententiam proponam. A multis, imò ferè ab omnibus, tàm qui Chemiæ dediti, quàm qui eidem non sunt addicti, in controversiam vocatur quæstio: An universalis Medicina parari possit, qua omnes morbi curari, & corpus humanum sanum ad terminum vitæ prædestinatum conservari queat. Qui id negant, sic inferunt. Si ejusmodi universalis Medicina à* DEO *creata fuisset, frustra ad usum humani generis reliqua essent condita. Verùm contrarium experientia testatur, Galenici enim particularibus medicinis quotidiè ægros sanitati restituunt, licet nonnunquam violentia morbi extinguantur: Neq; est ejusmodi medicina universalis studio Galenicorum Medicorum unquam inventa. Non igitur verisimile est, in rerum natura ejusmodi medicamentum catholicum dari. Ipsæ præterea morborum species ejusmodi simplex nō admittere videntur; Nam vel*

*ex calore vel frigore vel ficcitate vel humiditate oriuntur, vel ex combinatione earundem qualitatum naſcuntur. Deinde alius affectus Diaphoreticum expoſcit, alius pharmacum purgans, alius ſtypticum, alius anodynum, & alij alia. Poſito itaq; eo, quod medicamentum univerſale detur, omnium particularium medicamentorum vires id in ſe continere neceſſe eſt: Ubi verò locorum tale quid reperies?*

*Hæc objecta ut diluamus, reſpondemus primò, concedimusq; id, ex quo univerſalis Medicina parari debet, neceſſariò in ſe continere omnium particularium in tota rerum univerſitate exiſtentium vires, facultates, virtutes, atq; potentias.*

*Ut autem hoc planum fiat, de Microcoſmi & Macrocoſmi, ut loquuntur, hoc eſt de Mundi majoris & minoris, id eſt, hominis creatione pauca præmittenda erunt.*

*Conſtat ex Moſe* D E U M *verbo mediante Spiritu S. primò rudem quandam materiam, quæ ibidem cœlum & terra nominatur creaſſe, quam luce, quæ omnium virtutum, & proprietatum origo eſt, informavit. In hac rudi maſſa, quæ Philoſophis chaos eſt, fuerunt omnium*

*rerum*

*rerum semina, quæ postea separatione & operis sex dierum à DEO elaborata sunt, ea forma, cujusmodi nunc sunt & visuntur. Ultimo DEUS ex his omnibus tanquam separatam quintam quandam essentiam, quæ Limbus est, vel Limus vocatur, produxit, & Microcosmum, id est, parvum mundum, seu hominem inde efformavit, idem asserente Theophrasto in Astronomia magna de compositione humana.*

*Quia igitur alter mundus ex altero productus est, mutuam inter seipsos esse concordantiam & amorem necessariò sequitur: Nihil enim reperitur in tota rerum universitate, extimi cœli ambitu, & centro ejusdem comprehensum, quod non in homine quoque sit, aut quadam necessitudine eidem devinctum: quemadmodum illius rei magnetis & ferri, polorumque cœli amicitia testis est. Nam omnia sunt in homine, non quidē actu, seu corporaliter: sed potentia, seu spiritualiter. Sic omnes in homine stellæ sunt, omnia animalia, omnia vegetabilia omnia mineralia, & metalla. Sol sedem habet in corde, tanquam caloris & vitæ domicilio; Luna vires suas in cerebro posuit: Saturni seu plumbi vis in liene recubit; idē de aliis judiciū.*

*Ex his manifestè patet, Medicinam universalem ex duobus mundis sumendam esse, nempe ex Mundo majori externo, & parvo interno, qui est homo: Et quidem gemina ratione & via, particulariter nimirum & universaliter. Hinc enim medicamenta cùm partitularia tùm universalia originem sumunt. Via medendi particularis vulgata est: Si n. cordis affectus curandi sunt, solares herbæ, & solaria remedia ex Macrocosmo sumta locum habent. Si Cerebri vitia auferenda sunt, Lunaria pharmaca in usum veniunt, & sic de alijs. Simili ratione particularia remedia petuntur ex Microcosmo, nimirum ex hominis sanguine, ossibus, medulla, Cranio adversus Epilepsiam, & ex alijs partibus alia. De quibus consule Theophrastum & alios præstantissimos Medicos. In medicamentorum præparatione præterea & hoc observandum venit, in omni simplici conjuncta esse bona & mala, seu purum & impurum atq; morbum ex ejusdem rei bonitate expelli & curari, ex cujus malitiâ ortus est; quemadmodum id copiosè demonstravit Theophrastus.*

*Qui igitur Medicum particularem se profitetur, ille scientiam omnium rerum, quoad*

*virtutes & malitiam, seu venenatas qualitates illarum, habere debet, quosvé morbos & symptomata in homine producant; aliàs perfectè ea sanare non poterit. Hujus rei subjiciam exemplum. In Minera auri duo reperiuntur, Aurum ipsum, tanquam optimum quid, & Realgar ipsius venenum, tanquam nocens, & auro contrarium. Metallici qui separationem utriusq; instituunt, Realgaricos spiritus ore & naribus hauriunt, & ijs inficiuntur: ijdem tamen non nisi auri arcano, tanquam ejus medicina appropriata curantur. Sic natura nobis alia subministravit, quæ quidem non sunt in uno & eodem corpore, diversarum, imò contrariarum tamen plerumq; sunt virium. Sulphur enim qui in Marcasita est, vigilias inducit, Sulphur vitrioli somnum conciliat. Sic sunt sales quidam inter se contrarij. Item unus Mercurius diversus est ab alio. Has contrarietates omnibus in rebus, si Medici periti nomen tueri cupit, exactè tenere, atq; primo in externis mundi majoris rebus exercitia sua ope Alchymiæ instituere, investigareq; debet cujusq; rei principia, qui Sal sit in ipsis, quo Sulphure, quo Mercurio prædita singula. Item quod in*

*ipſis purum, quod impurum: Deinde in Microcoſmo per Anatomiã urinæ, ex pulſu alijsve ſignis diſcere, Arſenicum ne an Antimonium microcoſmicum cauſſa ſit morbi, ſecundùm quam curationem ſuam dirigere debeat.*

*Hac particulari curandi via inſiſtunt Galenici (utinam omnes) longiſſimè tamen ab ea recedunt multis modis. Nam primò omnium creaturarum notitiam non tenent, imò paucisſimarum. q. per umbram norunt. Iidem parvum mundum ſeu ſubjectum per Anatomiam Eſſatam dictam nõ cognoſcunt, per quam in notitiam eſſentiæ ejus deducimur, quæ ſit principiorum trium in nobis analogia, ubi auri, ubi argenti virtus reſideat, ubi vegetalis, ubi animalis vis firmata ſit: ubi inſuper & quomodo ibidem venenum recumbat, Arſenicum nimirum; Antimonium, Realgar, Mercurius, Sales, Sal communis, alumen, Vitriolum, etc. Nam ſi hæ ipſa morborum cauſæ ſunt, ut revera ſunt, etiam ex his ipſis curatio illorum petenda erit, & non tantùm ex herbis, ut Galenici factitant. Multo minus per anatomiam, urinas ijdem expendunt, ex quibus perfectiſſima morborum cognitio, dependet. Superciliosè contemnunt etiã*

Che

*Chemiam, quâ medicamenta artificiosè præparantur, quâ arcana & magisteria à fecibus & impuritatibus corporum liberantur; Saltem contenti sunt, ut pharmacopæi opera quoquo modo ea parentur, coquantur, & simul misceantur coquorum more, quibus quia obruitur ventriculus jam per se labascens, ægro magis obsunt, quā prosunt; imò noxam ei inferunt non levem. Ad hæc particularis ejusmodi medicationis modus, non tàm periculo caret, quàm laborum plenus est. Nam coctione culinaria, vulgari impurum à puro minimè separatur, neq; fiunt hæc sine sumtibus exiguis. Universalis verò curandi ratio sola Iatrochymicis nota est, & arcanis absolvitur. Exempli gratia, constat ex auro varia arsenicalia prodire, quorum species singulas, si quis ad usum transferre velit, ille ab arcano ejus recedit, & declinat ad viam particularē erroris plenissimā. Qui verò in ipso auro arcanum quærit (quia quod bonum in eo est, sanat id, quod vitiosum est) ille scopum attingit. Quod n. Icteritiam gignit, idipsum eandē curat; h.e. in eadem materia est malū quid, quod causa est Icteritiæ & bonum quid, quod causa est sanationis ejusdē: unde si bonū à malo separetur,*

*arcanum contra Icteritiam jam præsto est. Nam ideò sortitur nomen Arcani, quod ex ipso malo variæ species Icteritiarum oriantur. Quare qui singulas Icteritiæ species expendere cupit, ille ignorat vim arcani, quod omnes Icteritiæ species sanat. Si Particularis, Medicus unicuique & singulis suam diætam & medicinam investigare & definire conatur, moram faciet ægro intolerabilem: Ideoq; rectiùs facit, si de arcanis sollicitus est: multis enim hoc nomine laboribus & sumtibus parcit, & ægro utilior est. Arcanorum autem numerus est penè infinitus; & particularis Medicus ex qualibet re potest elicere arcanum, Q. Essentiam, magisterium, & similes medicamentorum formas parare. Hæc omnia & singula Medicum inquirere utilené est? Sanè inutile non fuerit, sed multorum sumtuum & laborum opus esset, à quibus te via breviori liberare poteris. Aspice quæso ordines & gradus vitæ humanæ à* DEO *sic constitutos, alius est agricola, alius est nobilis, alius comes, alius princeps, etc. ejusmodi quoque gradus in natura sunt, & res una aliâ est præstantior & nobilioribus prædita virtutibus: ejusmodi quoque gradus in Micro-*

*cosmo*



*cosmo reperiuntur, & homo homini præstat, aliusq; aliū donis insignioribus, sapiētia & prudentia anteit. Vegetabilia inter res naturales infimum gradum obtinent, quia corpora illorum transibilia sunt, & minus fixa, quorum spiritus facilè in auras evanesc nt. Hæc sequuntur Animalia: subsequuntur mineralia, tandemq; metalla, quæ corporibus & spirituum fixitate inter se distinguuntur, ut docet Theophrastus in lib. de Spiritibus planetarum. Si universalem medendi rationem expetis, ex his elige quæ præstantiss fuerint, docente idem Theophr. lib. 7. de transmut. rerum natural. cum inquit: Tinctura humanorum corporum, quibus sanitas firma conservatur, & morbi expelluntur, viresq; & colores restaurantur & renovantur, sunt Aurum, Margarita, Antimonium, Sulphur, Vitriolum, & similia, si ex illis arcana eliciantur. Idem Theophr. lib. de restauratione & morbis ex metallis contractis, exponit præcipua, quæ corpora renovant, & morbos extirpant, ut ex subjecta tabella patet.*


*Arcana ex*

- *Herbis, Q. E.*
  - *Hellebori.*
  - *Chelidoniæ.*
  - *Melissæ.*
  - *Valerianæ.*
  - *Betonicæ.*
  - *Croci, etc.*
- *Liquoribus*
  - *Sulphureis ut Gummis quæ sunt*
    - *4. pharmaca majora.*
- *Mineralibus*
  - *Salinis, qui sunt*
    - ⊕
    - ⊖ *commune.*
    - *Alumen.*
    - *Tartarum.*
  - *Gemmis quæ sunt*
    - *Smaragdus.*
    - *Saphyrus.*
    - *Hyacynthus.*
  - *Metallis*
    - *Intermedijs*
      - *Marcasita.*
      - *Talcum.*
      - *Antimoniũ*
    - *Perfectis*
      - *Ex* ☉ *tria arcana perfecta*
        - ⊖
        - 🜍
        - ☿
      - *Ex reliquis ut Croci.*

*Hæc*

*Hæc arcana pretiosa quidem sunt & magnarum virtutum, si spargyrica arte rectè præparentur, atq; in morbis gravißimis cũ magno successu adhibentur: attamen particularia sunt medicamenta, quæ non omnibus, sed certis tantum morbis expellendis conveniunt, mediumq; sortiuntur locum inter prædicta particularia, & universale, quod ab omnibus quæritur, à paucis verò invenitur. Sunt enim intermedia medicamenta hæc arcana, quæ priorũ respectu universalia quidẽ dixeris: Ejus tamen quam quærimus rei universalißs. sunt particularia. Nam materia nostri universalis operis, gradus excellentioris est, quàm aliorum omnium arcanorũ nominatorũ, quod vires, proprietates virtutesq; in se non tantùm contineat omnes: verùm multis parasangis illa superet, quemadmodum Rex in suo regno principibus, comitibus, Dominis & alijs subditis, præminet, & præcellit. De hac re Paracelsus libello de Spiritibus planetarũ sic loquitur: Create novum mundum, q. diceret: Si quis universalem Medicinã contra omnes morbos parare cupit, illi vel opus est materia illa rudi, ex qua DEUS mundum primò creavit, ex qua per separationẽ impuri à puro universale remediũ condat: verùm homini ea non concessa est,*

*quod* DEUS *totam elaboraverit & formas rerum omnium inde extruxerit, quæ nunc in sua ſpecie conſervantur, ut ſimile producat ſibi ſimile ſecundùm ſubſtantiam & virtutes inſitas & innatas. Si Medicus totum mundum, cœlos & terras ſimul in laboratorij ſui officina deſtillare, præparare & ſeparare poſſet, inveniret medicinam univerſalem. Verùm quia & hoc artifici denegatum eſt, ſequi videtur univerſalis Medicinæ materiam ex Macrocoſmo haberi non poſſe. Deinde ſi catholicum remedium ex Microcoſmo, quia quinta eſſentia eſt omnium rerum creatarum, magniq; mundi, elicere cupit Medicus, incumbit illi primo in partibus tàm majoribus quàm minimis ſeparationem puri ab impuro inſtituere, poſtea ſeparata componere. Hac ſanè via catholicum remedium pararet; verùm immenſi laboris eſſet & requireret hoc opus peritum artificem, monente Theoph. lib. 8. de ſeparatione rerum naturalium, ubi inquit: Qui omnium rerum naturalium & perfectum ſeparatorem ſe profiteri cupit, ille primò cognitionem habeat omnium rerum naturalium: deinde ſit in Chemicis operationibus exercitatiſſimus, & intelligat, quæ com-*



*combustibilia sint, quæ incõbustibilia, quæ fixa, quæ volatilia, quæ facilè ab igne fluunt, quæ minus, quæ item ponderosa, quæ minus. Præterea sciat cujusq; rei naturalis colorem & odorem, quæ acida, quæ austera, quæ styptica, quæ amara, quæ dulcia, cujusq; etiam gradum, complexionem, & qualitatem.*

*Cum itaq; ex adductis rationibus constet, vel prorsus impossibile esse Medicinam universalem condere, vel nõ nisi multis laboribus eam inveniri posse, requirereq; eam artificem experientissimum, quomodo secundùm Theophrasti dogma novum mundum condere poterit Medicus, qui* DEUS *non est ex nihilo omnia producens? Hic igitur sciendum est, in natura à* DEO *ordinatas esse rerum progressiones, & unumquodq; ad sui perfectionem & ultimum f. finem aspirare, quemadmodum singuli in vita humana ad altiora contendimus. Diligenter igitur hoc loco expendendum est, quis sit finis & perfectio, quam omnes res naturales exoptant. De hac quæstione consule Theoph. in tractatu de generatione & composit. humana, ubi docet: hominem quidem creaturam esse nobilissimam & præstantissimam, non tamen perfectissi-*

*fectißimam propter corporis mutabilitatem, & inconſtantiam. In quibus enim corporibus conſtantia eſt major, in iiſdem virtutes longè ſunt nobiliores & durabiliores. Ideoq́; inter res naturales vegetabilia & animalia perfectionis & fixitatis gradum primum obtinent, mineralia ſecundum: tertium verò metalla. Id quod ex naturali ſingulorum perfectione manifeſtum eſt. Hic gradus progreßionis cùm in generatione tùm morte rerum naturalium etjam elucet. In generatione quidem natura ex ſemine in genere vegetabilium primò radicem omnibus proprietatibus ſeminis dotatam producit, inde caulem, foliaq́;, poſtea flores, ſingula ſuis quoque facultatibus prædita profert, ultimò ſequitur ſemen, quæ eſt ejus multiplicatio. In hac perfectione natura acquieſcit, quia prædeſtinatum terminum aſſecuta eſt. Hic progreßionis gradus in generatione animalium quoq; cernitur: quemadmodum eundem in genere mineralium & metallorum fieri obſervamus, dum ipſa mineralia & metalla in terræ viſceribus vel generantur & multiplicantur, vel inter ſe invicem alia in alia natura ope transmutantur. Similiter in morte re-*


*rum*

*rum naturalium progreſsionis gradus non eſt obſcurus. Vegetabilia enim & animalia poſt ſui corporis mortem in mineralium naturam transeunt, in Sales nimirum ſecundùm cujusq; corporis proprietates diſtinctos: Alius enim refert naturam Salis communis, alius Nitri, alius Vitrioli, etc. Sic mineralia in metalla per progreſsionem mutantur, quod non ignorant, qui Vitrioli fodinas colunt, quod tandem in as Cyprium tranſit. Nam & Mineralia ſecundùm cujusq; naturam ſuos gradus ſervant. Aliud enim Saturni materia ſit, aliud Jovis, aliud Veneris, aliud Martis, aliud Lunæ. Poſtremò ſequitur ultimus gradus progreſsionis, qui eſt imperfectorum Metallorum in perfectiſsimum Aurum, quod eſt omnium rerum naturalium terminus & finis perfectionis ultimus. Atque hi ſunt progreſsionis rerum naturalium gradus à* DEO *ordinati, quibus invicem diſcernuntur, & aliæ præ aliјs excellunt, virtutibusque præſtantioribus preditæ ſunt, Aurum itaque ſtatuimus ultimum finem perfectionis omnium rerum naturalium,*

*non*

*non obstante eo, quod quidam gemmas Auro præferant. In gemmis enim non est ea perfectio, quæ in auro est secundùm æqualem quatuor elementorum mixtionem: imò eas unum etiam Elementum destruit, si igni committantur: Ideoq; ablato illarum astro silicibus non sunt potiores. Aurum verò nullam vim elementorum metuit, nec ipsa natura per se efficere potest, ut ratione suæ perfectionis aut nobilitatis quicquam immutetur: Imò aurum est ipsa materia gemmarum, quam etiam præstantiorem ipsis largitur, quàm ipsa natura confert. Qui plura de fine & perfectione rerum naturalium ultima cognoscere desiderat, is Theophrasti scripta legat & rectè intelligere annitetur. Cognita itaq; materia universalis Medicinæ, eam tanquam novam creabis, regenerabisq; mortificando, coquendo, destillando, solvendo, separando, coagulando, perficiendoq; omnia illa, quæ natura exigit & requirit.*

*Deinde & hoc sciendum est, in natura esse multiplicationem, quæ fit per generationem, & quemadmodum simile ex simili generatur: ita quoq; idem per suum simile propagatur*




*tur & multiplicatur. Ex seminibus enim sui generis ars, quod intendit, producit, & quidem eam materiam ad opus adhibet, quæ in progreßione ultimum finem assecuta est, & semen aliarum rerum omnium esse creditur. Seminis verò proprietates hæ sunt: Primo materia Catholici medicamenti similis est materiæ primæ creationis, in qua conjuncta sunt & venenum & medicina, mors & vita, virtus & malignitas omnium rerum naturalium. Nam quemadmodũ in Macrocosmi materia potentiâ fuerunt omnium rerum facultates tàm bonæ seu utiles quàm nocentes; Sic quoq; in nostra materia eædem necessariò requiruntur, teste Philosopho dicente: Si materiam nostram Spirituale nuncupes, probabile quid ais: si corporale, verum dicis: Si cœlestẽ, non mentiris: Si terrenum, verum refers. In ipsa enim sunt cœli, terræ, æstatis, autumni, hyemis, veris, caloris & frigoris formæ & masculinitas & fœmininitas. Item Alphidio: scito fili, quod in sapientum libris sunt quatuor Elementa, & cujuslibet vegetabilis figura, & cujuslibet animalis, & cujuslibet lapidis, in qua etiam maris, montium, fluminum, cœlorum,*

*terrarumq́; & omnium ſegetum, corporum & Spirituũ, ſubſtantiarum & colorum ſimilitudo. Materia itaq; noſtra à natura producta in ſe purum & impurum continet, quemadmodum aliæ res naturales omnes, in cujus ſeparatione, ut loquitur Theophraſtus, artifex Deum imitatur, dum quaſi lumen & tenebras à ſe invicem ſecernit. Ex his ſecundò ſequitur materiam noſtram eſſe ipſum ſemen Microcoſmi, hoc eſt, hominis, ſiquidem omnia, ut dictum, in homine potentiâ ſunt, quæ actu Macrocoſmus habet. Id quod teſtatur Philoſophus in Aurora dicens: Simili ratione vocarunt Philoſophi ſuum lapidem Microcoſmum, quod rerum omnium totiusq́; mundi ſimilitudinem habeat, & inde animalem dixerunt, uti Plato Macrocoſmum magnum animal appellavit. Id ipſum confirmat Theobaldus ab Hohenlande in præfatione ad Ducem Bavariæ inquiens: In Alchymia penè tota natura, rerumq́; univerſitas tanquam in ſpeculo liquidò conſpicitur, cum ſe habeat inſtar mundi minoris, in quo ſunt 4. Elementa, & quinta natura, quã cœlũ vocant. Unde autor conjugij Solis & Lunæ inquit: Accipe hominem & tunde eum ſuper lapidẽ, trahendo donec moriatur, poſtea redde ei animã*

*suam. Tertiò necessarium est nostram materiã præparatã cum Macrocosmo, & Microcosmo in omnibus concordare & consentire, tanquã novũ quendam mundũ. Nam quemadmodũ Macrocosmus cum Microcosmo convenientiam habet cognationemq́, tanquam pater cum filio, sic noster mundus cum utroq́ tanquã in cõjugio quodã consentit; Inter quæ n, est inimicitia, quemadmodum inter allium & magnetem, illa conjungi nequeunt. Ferrum verò magnetẽ appetit, quia in utroq́ unus est Spiritus & amor mutuꝰ. Quartò requiritur ut materia nostra cũ Elemẽtis utriusq́ mũdi sit in temperiei æquilibrio. Nã quemadmodũ Elementa per se considerata (ratione enim corporis, tales exercent operationes, quas videmus) neq́, calida, neq́ frigida, neq́ humida, neq́ sicca sunt: sic quoq́ materia nostra in temperie cum Elementis puris consentit, atq́ ob hanc cognationem ne ullum Elementum eam destruere potest, nec ignis eã cõsumit, nec aqua dissolvit, nec terra nec aër eam corrumpit aut minuit. Hinc Rhasis in libro luminum docet inquiens: Hac de causa præcipitur Elementorum quatuor conversio, ut divinum opus, nostrum ritè qualificatum in fine fixetur: utq́*

 *resi-*


*resistere valeat omni violentiæ ignis corruptioni aëris, ærugini terræ, & aquæ putrefactioni non aliter, quàm aurum minerale propter magnam suam perfectionem. Assimilatur etiam materia universalis medicinæ Elementorum qualitatibus quatenus scilicet ignis calet, aqua humida, aër frigidus, & terra sicca est. Sic quoque in principio quatuor Elementorum qualitates nostræ materiæ insunt & vigent, quæ postea mutua coctione inter se transmutantur: Ideoq; & ipsa putrefactioni & corruptioni subjecta est, priusquam summum perfectionis gradum & temperiē consecuta fuerit. Quinto quemadmodum Macrocosmus & Microcosmus ex spiritu & corpore constat; sic iisdem prædicta est nostra materia. Spiritus verò est subjectum vitæ, corpus verò mortis; quemadmodū eruditè explicavit Theophrastus lib. 3. de conservatione rerum naturalium. Quoniam verò in corpore nil nisi mors ipsa inveni tur, ideoq; artifici incumbit, ut ab inutili corpore separationem Spiritus instituat, qui medicina nostra est, Marsilio Ficino adstipulante, cum inquit: Spiritus multiplicat & tingit, non corpus. Hic Spiritus in Macrocosmo indigitatur*



*tur cœlestis impressio, & subjectum habet, Solem, monente Theoph. lib. 2. de Elemento ignis, ubi inquit: ut Elementum ignis rectè intelligatur, prius Solem describamus, qui talis est. Omnis calor in Magdaleonem coactus est forma rotunda, in quo est albus candor. Sic albus candor in Magdaleonem formatus est ex igneo Sulphure in corpus purissimi Mercurij præ omnibus alijs Elementis congelatus verò per Spiritum salis subtilissimum. In his tribus primis Sol subsistit siccus & calidus ut humiditati locus non sit, sed absumitur, quemadmodum ligna ignis absumit. Ideoq; Sol fons, & autor vitæ omnium rerum nominatur, quia fovet & sustentat omnia: sic igne & Sulphure omnem humiditatem consumit, quæ morborum macrocosmi caussa est. Et quia ex cœlestibus seu astralibus spiritibus omnia vitam habent, sequitur Microcosmum quoq; vitam suam, tanquam impressionem quandam ex cœlo accepisse (intelligo hic non animam hominis, sed Spiritum ejus, quem communem habet cum alijs animalibus, nempè astralem spiritum.) Ideoq; definit Paracelsus vitam lib. 2 de vita rerum naturalium, Balsamum astralem, Balsamicam impres-*

*sione cœlestis & invisibilis ignis, aërem corpori inclusum, & tingentem Spiritum Salis. Ecce quàm pulchrè et appositè conveniunt, hi duo astrales spiritus, Sol & hominis spiritus, & quia alter ab altero prodit tanquam effectus à sua caussa, summa est interipsos consonantia: Et quemadmodum spiritus Macrocosmi proprium corpus à putredine & alijs accidentibus tuetur: Sic spiritus microcosmi suum quoq; ab ijsdem corpus defendit. At spiritus Macrocosmi à* DEO *prædestinatus est; ut ante extremi judicij finem ex suo corpore non migret, neq; minuatur. Mundus n. à* DEO *definitum terminum habet, nulli nisi ipsi cognitum. Contrarium v. evenit in Microcosmo: is enim in individua innumerabilia divisus est, & quodlibet illorum vitæ terminum prædestinatum habet, quo impleto & spiritus & anima (de qua tamen hic sermo non est) à suo corpore migrant. Priusquam verò prædestinatum terminum homo assequatur Spiritus illius, & q. Sol parvi mundi varijs intemperaturis & morbis afficitur, debilitaturq;, quos quia superare & evincere semper nequit; ideò misericors* DEUS *sic ordinavit, ut Spiritus Microcosmicus à Macrocosmico spiritu roboretur, & conservetur.*

*Porrò*



*Porrò quia Sol macrocosmi in hæc inferiora per calorem agit, subjectum exposcit humidum, quod Luna cum aliis stellis illi suggerit. Hinc Sol pluvias, nives, aliasq; trium Elementorum humiditates absumit, tanquam omnium humidorum mors quædam: quemadmodum viceversa æstum & calorem attemperat humiditas, vicissimq; caloris mors est, singulari ipsius* DEI *dispositione, ne res nimium crescendo luxurient. Si itaq; calor & humiditas justa temperie consociantur, conservatur utrumq;: Sin, verò alterutrum superat, caliditas illa vel humiditas tanquam morbi macrocosmi fiunt. Simili ratione Lunaris & hyemalis stellarum vis in Microcosmo humiditatis est causa, in quam Microcosmi Sol tanquam proprium subjectum agit. Hæc duo Luminaria à Medicis communiter calor nativus & humidum radicale impropriè tamen nuncupantur, & microcosmo ingenerantur secundùm Solis & Lunæ ipsius macrocosmi aspectus: nempe si crescentem Lunam, vel sex tili vel trigono vel opposito radio Sol aspicit, infans vel natus Microcosmus temperamenti boni efficitur, & Sol & Luna*

*microcosmi eodem aspectu gaudent, idest, calor nativus in proportione humido radicali optimè respondet. Sin verò nascente infante cœli luminaria in conjunctione & maximè in calidis signis reperta fuerint, dominium Solis, ejusq; calor nativus longè vincit humidum radicale; unde in conjunctione solis & lunæ nati vel valetudinarij vel brevioris sunt vitæ. Præterea etiamsi calor nativus humorq; radicalis in ipsa generatione optimè attemperentur: tamen in vita deinceps variè afficiuntur, unde seges morborum nascitur, & tandem ipsa mors supervenit. Si itaq; morbi prævavenidi (nam quod ex utero materno tanquam hæreditarium ex infausta siderũ influentia accepit infans, illud prorsus tolli nequit, licet nonnunquã aliquam emendationẽ admittat) aut ipsa mors retardanda est, microcosmici sanè affectus solis & lunæ nempe calor & humidum radicale confortantibus ex Sole & Luna petitis indigent. Verum quæris, quomodo Sol & Luna cœlo de ducendi, vel radij illorum nullo modo perceptibiles excipiendi sint, ut medicina microcosmi fieri possint? Scias igitur cùm in hominibus tùm in alijs creaturis eorum operationes non esse diversas,*

*eodem-*

*eodemq́ modo suis impressionibus in omnes res agere, impari tamen mensura secundùm DEI ordinationem in prima mundi creatione sancitam.*

*Quo pacto verò materia universalis medicinæ invenienda & præparanda sit, quæve ejus cum Macrocosmicis & microcosmicis astris concordantia requiratur, & quâ ratione illa in microcosmum operetur, hoc loco breviter exponam adductis tantùm Philosophorum autoritatibus. Ac de materia Theophrastus libro de renovatione ac restauratione in hunc modū scribit: Renovatio corporis humani ad summā perfectionem alia ratione fieri nequit, nisi per primum* ENS*, in quo peculiaris natura est, corporis substantiam transmutandi in melius. Nam primum ens est imperfectum compositum prædestinatum ad certum & ultimum finem & corporalem materiam. Et quia perfectum non est, ideoq́ transmutat omnia, quibus incorporatur, tanquam Mercurius, qui similis est imperfecto primo Enti in ipsa imperfectione: Et quamvis determinatum quid & absolutum, tamen ex perfectione non transijt, sed in se ipso finitum est. In Mercurio facultas est to-*


*tum corpus renovandi, quia in ipso est mira vis laxandi & alterandi, quæ etiam penitus explorari nequit: Attamen totus est imperfectus & inutilis, in suis operationibus, & ratio est, quia est Mercurius, & ejus primum ens non in aliud corpus prædestinatum est. Nam qualis est, talis ejus est perfectio. Sic de primo ente loquimur, quod perfectum est renovare & restaurare totum corpus, cujusmodi primum Ens auri est, & quidē ob hanc causam, quod Spiritum auri totaliter occupet & subtilissimū sit, plusq; possit quàm ipsum aurum. Quia ideò primum Ens auri penetrabile est, tanquam Mercurius in Metallis, nec in se habet Spiritum Salis, cujus beneficio coagulationem admittit. Spiritus Salis, qui primum Ens coagulat, adimit illi eam vim, ut aurum tantas virtutes efficere nequeat, quam ejus primum Ens: quemadmodum vinum frigore congelatum pristinas vires nunquam recipit. Ex hoc igitur Theophrasti loco, quæ sit Materia catholici operis facilè colligere licet.*

*Cognita igitur materia, deinceps ea præparanda & suis gradibus exaltanda est, ut majores & efficaciores vires assumat, quàm*

*illi naturalis perfectio largita est: quemadmodum vinum sublimatum, quò sæpius destilletur, eò magis in suis gradibus exaltatur.*


*Cujusmodi verò hujus Medicinæ in corpore humano operatio sit, ex eo liquet, quod diximus, Medicinam hanc esse novum & integrum mundum, qualis ipse Macrocosmus & Microcosmus est, sunt illi tres in Spiritu unus mundus. Nam astrum macrocosmicum & microcosmicũ tanquam Spiritus vitæ, & astrum Lapidis nostri sunt in Spiritu res una, etiamsi tria diversa corpora habeant: quemadmodum Magnes & ferrum Spiritu unum quid sunt, corporibus verò distincta, ideoque inter se amicè conspirant. Jam quorum est Concordia concors, illa mutuò sesè avidè amplectuntur: Et sicuti Mas & Uxor ex una sunt materia producti, concorsq; inter ipsos est consonantia, ideoque mutuus etiam amor & studia inter ipsos: Similiter si hic externus Sol seu Ignis Spargyricâ arte præparatus humanum corpus ingreditur, & cum Spiritu vitæ sesè conjungit & unit, quis negabit, eo quàm primum vitæ Spiritum corroborari,*

*auge-*



*augeriq; atque hinc omnem impuritatem & noxiam superfluitatem statim consumi & expelli? Nam quo modo ignis culinarius & visibilis ligna & lapides consumit: Eodem essentialis ille ignis Philosophicus omnes corporis superfluitates naturæ molestas depascitur, & mutat in corporis substantiam, convertitq; in bonum naturæ amicum & acceptum. Atque ut hæc fiant planiora, exemplis illustrabo. Urtica cum habet urendi, ideoq; in corpore pupulas excitat, quis quæso hujus rei caussam sufficientem reddere potest? Vis enim ea nec actualis nec materialis est: Similiter cantharides cutim exurunt, & flammula herba, quæ ignis quidem non sunt, attamen facultatem urentem habent. Non diversa est regeneratio & renovatio corporis humani, quæ fit per essentialem nostrum ignem, qua id quod in natura vitiosum est, vi inenarrabili quasi exuritur. Omnibus præterea notum est per ignem materialem omnia expurgari & purificari; id quod in Amianto conspicimus: Ideoq; à natura non abhorret, si dicamus renovationem in corpore nostro non alio modo fieri posse, quàm ignis cujusdam beneficio. Hinc duos*






*ignes in natura esse colligimus, Materialem & essentialem. Materialis per flammam operatur: Essentialis per essentiam & virtutes suas, corpusq́ purgat & clarificat non aliter quàm ignis materialis impuritatem in ære absumit, ut campanæ sonum edant clariorem: Sic nostrâ Medicina non tantùm corpus purificatur, verùm & ipse Spiritus vitæ corroboratur & nobilitatur, judiciumq́ & memoria acuitur, totusq́ homo expulsis omnibus superfluitatibus & fecibus, quæ morborum caussæ sunt, tanquam balsamo quodam imbuitur secundùm omnes & singulas partes renovatus & regeneratus. Ex his itaque, quæ adducta sunt, liquidò constare arbitror, quæ materia Catholicæ medicinæ sit, similem nimirum eam esse materiæ creationis macrocosmi & microcosmi, seu limbi, quatuorq́ Elementorum qualitates in se habere, non tamen corporali sed spirituali modo, continereq́ in se omnes facultates & virtutes superiorum & inferiorum. Quis igitur dubitabit omne genus morborum hoc catholico ejici & curari, constantemq́ sanitatem usque ad prædestinatum vitæ terminum conservari posse. Postremò ut id quoq́*

*Colophonis loco adjiciam, ex his, quæ de generibus Medicæ artis in medium adduximus, facilè quis intelliget, quo loco hic liber practicus Medicus habendus sit, eum nimirum ad particularem Medicinam referendum esse, & partim Galenicum, magna tamen ex parte Chymicum esse, quod singulis morbis curandis medicamenta Spargyrica arte præparata aßignata sint. Universalis enim Medicina omnem omnium morborum curationem unico Catholico absolvit & perficit. Vale igitur & vive lector benevole, & nostrum studium æquißimis mentis oculis aspice.*



CAU-






# CAVTELA.

*PRimum necesse est in omni ferè genere morborum, si aliâs Chymica hujusmodi cum fructu & utilitate quis adhiberi tentat, corpus priùs particulariter & universaliter evacuetur & purgetur. Illudq; vel per excrementa & sedes, vel alio aliquo vomitorio medicamento: prout cujuslibet hominis natura patitur & admittit. Inprimis verò in Chronicis morbis. Tunc enim majori quid commodo & securitate in ijsdem potest præstari.*

*Deinde: requiritur etiam, morbo depulso vel curato, medicamenta iterum*




*rum confortantia, quis pristinis & amissis viribus nanciscatur corpus debilitatum, adhibeantur.*

*Tandem: quælibet Chymica ita sunt præparanda, ne temerè prætereundo materiam peccantem & corpus & totam Naturam labefactent, corrumpant atque frangant, sed morbum duntaxat spectent, investigentq́. Quod equidem Practico Chymico præ cæteris considerandum puto: ne fortassis per se ipse tantùm, sed etiam unà Chymica in contemptum & opprobrium eant medicamina.*

*Item:*

## DE OLEO EIVSQVE VERO USU.

*Inter cætera Chymiæ olea, quoniam non*



*nõ infimum locum obtinet ⊕, æquum est quoq; ut ejus usus & verus administrandi modus non ignoretur. Accipe igitur ovum vel vitrum, magnitudine ovi, infunde vinum vel aquam vel alium quem purissimum liquorem morbo non ineptum. Eoq; facto, infunde oleum ⊕, ut nanciscatur eo sapore, quo acetum, quod sua præ acritudine potest hauri. Etenim sapor, si dulcis, nimis remanet, haud potest oleum exquisitam operationem suã habere. Si verò nimis est acetosus, Naturæ implacabilis est & ingratus. Quod si infudisti, sepone ad semihorulæ spacium, ut fiat inter duo ista corpora vera unio. Tunc ægroto administra mane & vesperi. Mulieri autem non item, ut nec infanti, Dosis sit v. vj. vij. viij. & non amplius, pro*

d con-

*constitutione corporum. Post hæc sit jejunus ægrotus, usq; ad tres horas, nec cibo potuq; utatur. Licet etiam uti ante prandium, imò & vesperi: quo tempore cruditates quam optimè consumere videtur ventriculi.*

*Sciendum quoq; , medicamentis illis, quis crebrò quis utatur, præsertim Cronicis in morbis, Naturam assuefieri tandem, & ventriculum longo usu pro cibo suscipere. Propterea varietas medicamentorum adhibenda, qua si quis non valeat, tunc ad minimum Dosis superior augenda. Nimirum: seniori gutt. xx, juniori x, vel xiiij.*

## DOSIS seu MODVS ADMINISTRANDI.


*In febribus: Ante Paroxismum.*

*Gutta: Sine intermissione.*

*Icte-*

*Ictericia: Ad tres dies, ſemel in die.*
*Hydrope: Ter in die*
*Contractura: Ter in die.*
*Ulceribus: Bis in die.*
*Vulneribus: Bis & ter ſecundùm vulnus in ſin. ſem.*
*Purgation. de nocte.*
*Menſtruis, juxta tempus ſuum.*
*Colica: ſemel aut bis in doloribus.*
*Vertigine: ſine intermiſsione.*
*Peſte: ſemel intrà & extrà.*
*Apoſtem: Cottidiè bivies. Si bis adminiſtrationibus non juvatur, derelinquatur.*






# ENODATIO vel SIGNIFICATIO CHARACTERUM Chymicorum in hoc libro.

| | | |
|---|---|---|
| ☉ | | Aurum. |
| ☾ | | Luna. |
| ♂ | | Mars. |
| ☿ | | Mercurius. |
| ♄ | | Saturnus. |
| ♀ | | Venus. |
| ♃ | | Jupiter. |
| ♁ | | Antimonium. |
| ⊖ | id est, | Sal. |
| 🜖 | | Victriolum. |
| 🜍 | | Sulphur. |
| 🜉 | | Spiritus. |
| 🜊 | | Acetum. |
| ☿🜂 | | Mercurius sublimatꝰ. |
| Q.E | | quinta essentia. |
| △ | | Ignis. |

*Arri-*



*Arrige aures ad ea*

*Quæ Hippocrates li. de prisca Medicina suggerit, inquiens:*

NEq; sicco, neq; humido, neq; calido, neq; frigido, neq; horum quoquam hominem lædi existimarunt, neq; horum aliquo ei opus esse. Sed quod in unoquoq; potentius esset, & supra naturam humanam, adeò ut ab ea superari non posset, id lædere censuerunt, & tollere conati sunt. Est autem valentißimum, inter dulcia dulcißimum; inter amara amarißimum, inter acida acidißimum, & quod in re quaq; summum est. Hæc enim in homine inesse, eiq; nocere videbant. Jn homine namq; inest & amarum, & salsum & dulce, & acidum, & acerbum, & insipidum, aliaq; sexcenta, quæ pro copia & viribus, varias habent facultates. Et hæc quidem mixtione & mutua inter se contemperatione, neq; cernuntur, neq; quenquã molestia afficiũt. At ubi horum quidpiam secretum fuerit,

& per se extiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem molestia afficit.

*Quare Aristoteles inter mala benè dixit.*

OMnis Animæ potestas, alterius cujusdam corporis particeps esse apparet, ejusq; divinioris, quàm quæ elementa appellantur: Et quemadmodum nobilitate obscuritateve animæ inter se discrepant, ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in se semen, cujusq; fœcunditatis suæ causam, nempe ipsum calorem, qui igneus minimè est, neq; id generis facultatem aliquam æmulatur, sed Spiritus qui in semine spumanteq; corpore coercetur, & natura quæ in eo est Spiritu, proportione respōdet Elemento stellarū. Quamobrem ignis nullum animal generat, neq; constitui quicquā densis, vel siccis, vel humidis videtur. At vero Solis calor & animalium, non modò qui in semine continetur, verùm etiam si quid excrementi sit, quamquam diversum à natura, tamē id quoq; principium habet vitale. Itaq; dura, mollia, lenta, rigida, aspera, levia, caloris & frigoris vi effici possunt: at propria cujusq; ratio & essentia, nequaquā ex Elementis emergit. ER-

# ERRATA.

In Præf. D. T. b. 3. l. 16. quod in Marcasita. b. 7. l. 17. ultimum finem. c. 4. pag. altera. l. 13. præcavendi. c. 6. pag. alt. l. 10. vim. ibidem, pustulas. l. 14. cutem. P. 8. l. 10 Ol. Philosophorum.

Pag. 11. l. 10. Paracelsi. p. 15. l. 11 usurpatus. 16. l. 9. Ol. N. Mosch. an. ℥j. 22. l. 1. chirurgia. 33. l. 1. Infere. Cuscutæ Pimpinellæ. 50. l. 15. Phthisis. 53. l. 11. purgandus. 61. l. 21. Cohob. p. 66. l. 9. cort. l. 23. ⊕ 71. l. 8. Q. E. vini. 80. 6. singultum. 81. l. 21. Mastichini an 82. l. 2. ✝ ⊖ Com. 85. l. 6. Ad tactum remanent foveolæ. Ventr. 90. l. 10. Hyposarcam. 96. l. 14. ⊕ in aq. rosar. p. 100. l. 4. Ol. ⊕ cum 107. l. 20. Rhetico. 119. l. 11. Artemisiæ an. ℥ j. 126. l. 23. inungantur. 142. l. 17. alvus. 143. l. 4. eo locus 153. ult. R. Vngventi. 154. l. 14. putrefactam & mortificatam. 184. l. 8. g. III. vel IV. 198. l. penult. degeneratio. Cætera æquus videat lector.

LI-

# LIBER PRIMUS DE MORBIS CAPITIS.

## AD EXTIRPANDOS CRINES.

℞. E. ♉.
☿ vitæ
Ol. ☿
Balsam. ex ⊖
Ol. auripigmenti.

## CONTRA CAPILLORUM CASUM.

⊖ nitri, cum vino malvatico, *Sæpius hoc laventur capilli.*
Persicariæ
☉ potabile.

## CAPILLOS CANOS REDDENTIA NIGROS.

Oleum ⊕. *in aqua Zacchari candi mixtum, laventur capilli sæpè.*
Colocynth. *in lixivio posit.*

## CAPILLOS FLAVOS REDDENTIA.



⊖ Petræ

⊖ Petræ & lupini, in aqua calida'
*Sæpius laventur crines.*

*NOTA.*

*Sæpiùs laves capillos lixivio, in quo decocta sit* herba Cichorij, *à seipsò siccescere eos sine.*

*VEL:*

℞ Calcis & Cinerum tamentorum vitis an. p. æq. F. *ex ijs lixivium forte. Hoc sæpiùs crines come, & per se sicce. scere permitte.*

APHTHAS.

Ol. ♆
℈. E. ♆
⊖ contusum, humectatum *intingantur in eo titivillitia illis q, & illi. n. tur.*

CONTRA FURFURES.

⊖ Absynthij
℈. E. vini
Ol Granorum lauri.
Mastycis.
✢⊕ *sæpius inunctus.* ℥ ſs.

ALOPECIAM QVÆ MVTATUR INTERDUM IN LEPRAM.

Vapor ⊕ ex coctione.
Ole. ♁
Petrolei. *loto priùs capite ex lixivio.*
Arsenici.
Q. E. vini.
Aq. ☿
Ferrum Philosophorum.
Ol. tartari. *per descensum.*

THYRIAM SANANS.

☉ potabile.
♁.

PEDICULOS PHTHIRIASIN.

